

I. N. 7. C.

DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM,
QUA

TRANQUILLITAS
MENTIS,
PROVIDENTIA
DIVINA

RITE INSTITUTÆ,
BREVITER ADUMBRATUR,

Suffrag. Ampl. Fac. Phil. in Reg. ad Auram Academia,
Sub PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS
BILMARK,


HIST. ET PHIL. PRACT. PROF. REG. ET ORD:

Publico bonorum examini subjicit

ANDREAS ORRÆUS, Andr. filius,
WIBURGENSIS,

IN AUDIT. MAJ. DIE XIX. MAJI, MDCCLXIV.

H. A. M. C.



ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL,

S:Æ R:Æ MAJ:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO,
D.NO **GABRIELI**
FORTELIO,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI Celeberrimo, Dicese-
ceseos BORGÖENSIS EPISCOPO Eminentissimo, Venerandi
CONSISTORII PRÆSIDI Gravissimo, GYMNASII ibidem
SCHOLARUMQUE EPHORO Accuratissimo,
MÆCENATI MAXIMO.

Eo usque jam dudum facilis es, Reverendissime EPISCOPE;
ut omnes, quotquot litteris operam navemus, faciles
credamus, TE ad gratiam TUAM singulos benigne fore ad-
missurum. Cumque in deliciis habeas, quicquid pietatem
spiret, non adspernaberis tenuis Musæ propositum, quæ pia
hac disquisitione suam in TE pietatem probare nititur. Susci-
pias igitur, Reverendissime PRÆSUL, sed serena, qua sem-
per soles, fronte hæc Parnassia munera, ceu tesseram quan-
dam reverentiæ, qua TE prosequor, maximæ, & sic cum animo
TUO statuas, quod verborum elegantias, quibus summa TUA
exponant merita, concedens multis, quod clientis est pro-
prium, devoto animi adfectu TE semper colam. Nihil igitur
mihi prius, nihil posterius erit, quam ad Supremum
Numen calidissima fundere vota, velit TE, Reverendissime PRÆ-
SUL, in Patriæ, Ecclesiæ, Reipublicæ litterariæ, Familiæ TUÆ
Nobilissimæ, ac clientum decus, emolumentum atque patroci-
nium exoptatissimum quam diutissime conservare. Perman-
surus ad cineres

REVERENDISSIMO NOMINI TUO

devotissimus cliens
ANDREAS A. ORRÆUS.

VIRO admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
D: no MICHAËLI HEINTZIO,
PASTORI & PRÆPOSITO in Sysmæ & Hardola meri-
tissimo, gravissimo.

VIRO admodum Reverendo atque Praeclarissimo,
D: no PETRO HEINTZIO,
Ecclesiarum in Savitaipal & Suominemi PASTORI & PRÆ-
POSITO dignissimo.

VIRO plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
D: no MAGNO ORRÆO,
Ecclesiarum, quæ DEO in Taipalsari & Clemis colliguntur,
PASTORI vigilantissimo.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
D: no JOHANNI FABRITIO,
Ecclesiæ, quæ DEO in Tohmajärvi colligitur, PASTORI
accuratissimo.

AVUNCULIS, PATRIBUS & COGNATO HONORATISSIMIS,

Que sibi relicta ad infimas Parnassi radices basisset Musa,
Vestra, quam eximiam lubens proficetur, liberalitate sufful-
ta per ardua montis juga sensim eniti incipit. Quid vero Vobis, O-
ptimi Patroni, rependam, aut qua ratione animum Vobis devotis-
simum probabo, plane nescio. Ne tamen ingratus judicer, mu-
nusculum hocce chartaceum, sola materia dignitate atque offeren-
tis pietate commendabile, servuus Vobis offero; quod ut benigne
suscipiatis, meque favore Vestro in posterum etiam amplectemini,
enixe oro atque obtestor. Ego vicissim Supremum rerum Moderato-
rem ardentissimis fatigabo precibus, velit Vos, Patroni Optimi,
salvos & incolumes nec non omnigena felicitate mactatos in lon-
gam annorum seriem conservare. Ita vovet

PRÆCLARISSIMORUM NOMINUM VESTRORUM

cultor humilissimus
ANDREAS A. ORRÆUS.

VIRO Amplissimo,

Dn. HERMANNO J. HEINTZIO,

Equestris Careliensis Cohortis Judici Castrensi accuratissimo, Adfina honoratissimo,

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo;

D: no Mag. MICHAËLI ORRÆO,

Communiistro & Vicario Pastoris Ecclesiarum, quæ DEO in Randasalmi & Heinavefi colaguntur, Fratri Carissimo,

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,

D: no Mag. GUSTAVO ORRÆO,


Ve. bi Divini Ministro Vigilantissimo, Fratri Dilectissimo,

Cum eximia illa, quæ Vos, Fratres Carissimi, mihi nullo non tempore præstitistis beneficia, in memoriam mihi revoco, tanta eadem esse deprehendo, quantis recensendis, ne dicam remunerandis, omnium maxime sim impar. A teneris enim inde ungviculis nec curis pepercistis, nec sumtibus, ut progressus in litteris facerem. Immo tantum fuit Vestrum in me studium, ut Vobis potius, quam mihi deesse volueritis. Suscipiatis igitur sereno vultu Specimen hocce Academicum, ut pignus gratissimæ mentis, dignusque a Vobis judicer, qui amicitia Vestra in posterum etiam fruatur. Concedat Vobis DEUS O. M. felicem omnium rerum successum, qui blanda semper voluptate adficiet

VESTRI

Studiofissimum

ANDREAM A. ORRÆUM,



*Da, Pater, augustam menti conscendere sedem;
Da fontem lustrare boni; da, luce reperta,
In TE conspicuos animi defigere vultus!*

BOËTHIUS.



Quemadmodum vesanus omnino haberetur civis, qui officia, sibi atque aliis debita hominibus, sedulo quidem præstaret, ea autem negligeret, quæ Principi suo, publicam tranquillitatem & felicitatem quotidie promoventi, debet; ita parum certe sibi constant, qui DEUM, omnis boni datorem, hominumque & rerum quarumvis sustentatorem ac conservatorem e Systemate Morali remotum operose cupiunt. Dolendum tamen maxime est, quod tam antiquissimis, quam nostris quoque temporibus, haud pauci fuerint, etjam qui meliora sapere & grandia tantum meditari sibi sunt visi, qui cum alios ingeniorum abortus, quorum ignorantia multis profuit, nemini autem nocuit, orbi erudito obtruserunt, tum præcipue docuerunt, DEUM parum omnino curare res atque actiones humanas. Cui quidem

A

dem

dem opinioni sicut sobria nequaquam adstipulatur Philosophia (a); ita & hocce conatu fortissimas simul & aptissimas bonarum actionum rationes penitus tollunt. Quanto his melius gentilium Philosophorum multi, qui ingenue docuerunt, quod tam in aliis scientiis, quam præcipue in Moralibus permagni referat, sanas & accuratas de Summo rerum Moderatore habere opiniones (b). Quibus ut pollicem preminimus; ita etiam in hac opella nostra clare ostendere conabimur, quod tranquillitati mortalium minus consulant, quotquot Providentiam Divinam vel negent, vel indolem ejus scriptis suis admodum pervertant.

(a) Bene enim VERULAMIUS in *libr. de August. Scient. p. m. 12.* monet: leves gustus in Philosophia movere fortasse ad Atheismum, sed pleniore haustus ad Religionem reducere. (b) Hinc PLUTARCHUS de *Stoi or. temperant. p. m. 1025.* refert, Stoicos Philosophiæ Practicæ fundamentum in DEI existentia & natura posuisse, dum hac CHRYSIPPI laudat ex *Libro Ejus III. de Diis*: ἡ γὰρ ἐστὶν ἐν ἑαυτῆς τῆς δικαιοσύνης ἀλλήν ἀρχὴν ἢ δὲ ἀλλήν γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διός, καὶ τῆς κοινῆς φύσεως. Ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πάντ' ἐπισημαίνειν τὴν ἀρχὴν ἔχειν εἰ μὲν ἄλλοι π' ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. i. e. Non enim inveniri potest aliud justitiæ principium, alia origo, quam a Jove & communi natura petitur; inde enim necesse est, omnia ista nos exordiri, si volumus aliquid de bonis & malis dicere. A quo parum dissentit EPICETUS, Sectæ Stoicæ acutissimus vindex, sic differens: τῆς περὶ τοῦ Θεοῦ εὐσεβείας, ἵσθι ὅτι τὸ κρωλύτατον ἐκείνὸ ἐστὶν ὄρθας ὑπολήψεις: περὶ ἀνθρώπων ἔχειν, ὡς ὄλου καὶ διοικητῶν πρὸς ἅλα καλῶς καὶ δικαίως. i. e. Religionis erga Deos immortales præcipuum illud esse scito; rectas de eis habere opiniones, ut

ut sentias & esse & bene justeque administrare universa.
Cap. XXXVIII.

§. I.

Per *Providentiam Divinam*, cujus modo mentionem fecimus, intelligimus *actum DEI ad extra, quo rerum, a se creatarum, curam gerit*. Per *Curam* autem inuimus *Studium, perfectioni entis impensum*. Ex his igitur definitionibus facile colligi potest, quod in Providentia Divina duos potissimum actus distingvere liceat, cognitionem scilicet, & hanc quidem adeo eminentem, ut Summus rerum Monarcha probe sciat maxima & minima, quæ ad creaturas Ejus pertineant, nec non bonitatem, qua comoda quævis illis largitur, mala autem averruncat, nisi sapientiæ atque justitiæ ipsius rationes aliud subinde postulent. Verbo denique monemus, quod axiomatis loco hic adsumamus propositionem: *Deus existit*, & quidem tanto majori jure, cum qui de alma hac veritate serio dubitaret, quantumvis etjam multa pro sua vel ignorantia vel pravitate pallianda moliretur, inveniri speremus neminem.

§. II.

His jam in majorem eorum, quæ mox dicenda sunt, evidentiam allatis, firmiter tenemus, *dari omnino Providentiam Divinam*. Quamprimum enim DEUM nominari audimus, in intellectu nostro statim formatur idea Entis omnibus, quæ excogitari unquam possunt, perfectionibus præditi. *Absurdum quippe foret*, sicut eleganter monet PU-

FENDORFIUS (a), *creaturam ejus aliquam sibi posse perfectionem animo concipere, quæ a DEO abesset.* Igitur cum notionem entis, quod summa omnium rerum scientia gaudet, atque maxima & minima sine ullo molestiarum sensu cognoscit, nobis formare possimus, nemo, cui sanum est sinciput, negabit, perfectissimam rerum omnium scientiam DEO competere. Certe amplissimam Summi Numinis sapientiam pleno quasi ore celebrant res omnes creatæ, admirandusque earum mechanismus, ordo atque dispositio. Quare etjam gentilis quidam Philosophus ingenue olim est professus: *Quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate Rex, in exercitu Imperator; hoc idem in mundo est DEUS, nisi quod illis principatus laboriosus, perturbatus & anxius sit, DEO autem expertus omnis moestitiæ & laboris, nullamque adferens corporis imbecillitatem* (b). Qui igitur Sapientiam Divinam temere negat, firmissimum, quo demonstratio existentiae Numinis nititur, rationis cardinem convellit. Sicut vero illa extra dubitationis aleam est posita (§. 1.); ita infinita DEI cognitio omnino erit admittenda. Nec difficilius ingentem DEI bonitatem, in operibus ejus affatim manifestatam, agnoscere licet. Finge enim quempiam ex obscuro loco & paupere tugurio in penum, omnium rerum, quæ ad suam sustentationem, commoditatem & delectationem pertineant, copia instructissimum pervenire; stipēs certe erit & tāpa cæcior, nisi beneficam manum, quæ singula hæc apte ad-

eo disposuit, agnoscat, quamvis illam non videat, nedum pronus exosculetur. Nudi atque miseri in theatrum hujus orbis ingredimur, nihil adferimus & nihil ipsi producere possumus, quo nativum squalorem detergere, aut necessaria vitæ adminicula nobis procurare valeamus; nihilo tamen minus defectum hunc multis & plane admirandis modis compensatum quotidie experimur. Bruta porro animantia si in censum veniant, fatisprehendimus, quod, sine ulla eorum opera aut industria, lauta illis porrigantur alimenta, adeo ut ne in horridis quidem speluncis beneficentiam Conservatoris desiderent. Cetera denique contingentia sicut in existendo continuant, ita continuatæ existentiae rationem non in se, sed in Ente absolute necessario, i. e. DEO O. M. habent, quod per se patet. Enimvero continuata existentia novam entibus addit perfectionem, qua Divina bonitas in contingentia fatis superque manifestatur. Cum itaque singula opera Divina Summam Numinis atque intimam omnium rerum cognitionem, nec non eximiam plane in res creatas bonitatem, tenerrimæ nostræ in res carissimas curæ similem quidem, sed eadem longe majorem prodant, atque his duobus actibus Providentiam Divinam absolvi, supra (§ 1.) monuerimus; prono, ut dicitur, fluit aiveo, *duri Providentiam Divinam.*

(a) Vid. *Libr. 1. de Officio H. & C. Cap. IV. §. 5.* (b) Vid. *ARISTOTELIS Libr. de Mundo Cap. VI.*

§. III.

Extendit autem sese Providentia Divina non solum ad universum hunc orbem, ejusque conservationem atque gubernationem, sed insuper paternæ Ejus curæ subsunt singulæ res ab ipso creatæ; vel, ut terminis utamur Philosophicis, objectum Providentiæ Divinæ non sola sunt Entium genera & species, verum singula quoque individua, sub qualibet specie comprehensa. Etenim sicut DEUS summis, & quibus nec majores nec plures concipi possunt, perfectionibus gaudet; ita quoque accuratissimam tam Sui ipsius, quam aliorum entium, a se dependentium, cognitionem possidet §. II. Ponamus autem, DEUM solummodo considerare genera aut species, vel etiam fingamus, quod aliis placet, Eum non sine molestiæ cujusdam sensu cognoscere singula a se creata individua maxima & minima; utroque certe in casu erit concedendum, DEUM singulis possibilibus perfectionibus non gaudere, siquidem ens aliud, quod singulas res facillime cognoscat, haud operose concipere liceat. Absit vero quam longissime a quovis sano, imperfectiones quasdam DEO, Enti perfectissimo, tribuere. Sicut autem Scientia DEI infinita est, nec aciem oculorum ejus quidquam subterfugit; ita quoque bonitas, quæ non minus essentialiter ipsi competit, nullos omnino agnoscit limites. Quod si verum sit, uti verissimum esse quisque fatebitur, qui in illum, quem modo indicavimus, contradictionum labyrinthum sese temere non

conjiciat; manifesto sequitur, quod Divina Providentia ad omnes creaturas, imprimis vero ad singulos homines, qui inter magnifica ipsius opera principem sibi locum vindicant, admodum pertineat. Immo licet DEUS ad tenorem justitiæ munera sua inter mortales admiranda prorsus ratione distribuatur; nemo tamen est, qui indotatum sese fuisse, jure conqueri potest. Hisce omnibus addo, quod specialis hæc, cujus mentionem fecimus, Numinis cura nihil plane involvat, quod vel majestate ejus indignum foret, vel summam, qua fruitur, felicitatem quo demumcunque modo turbaret; nec par omnino sit DEI atque Imperatoris ratio. Hic enim singulorum militum, quamvis maxime vellet, curam agere non potest, quia negotiorum minoris momenti diluvio sic inundaretur, ut laboribus penitus succumberet, & plures occasiones, quibus egregii quid efficeret, temere e manibus dimitteret. Contra ea DEUS non solum singulis civibus suis, præcipue vero hominibus optime cupit, verum etiam pro infinita, qua pollet, sapientia, potentia & bonitate beneficia quævis singulis individuis absque ullo molestiæ sensu confert, & ita quidem, ut in minimis etiam maximus videatur. Desinat igitur Deistarum cohors parvis magna conferre; cum quæ in Imperatore ob ingenii angustiam vituperari possent, in DEO ob infinitatem Ejus vehementer admirari debeamus.

§. IV.

Juvat adhuc cœlesti lymphâ nostra irrigare arva, atque testimoniis, ab ipsa Veritate prolatis, evictam modo Providentiæ Divinæ indolem ulterius probare. Postquam igitur *SALVATOR* noster *Matth. VI: 26. ... 31. X: 29. 31.* luculenter ostendisset, quam sollicita sit Divina cura in ornandis atque pingendis floribus, nec non in conservandis & nutriendis abjectissimis quibusvis passerculis, a minori ad majus argumentando progreditur, adferens, quod singuli homines tanto magis curæ cordique DEO sint, quanto longius animantibus modo memoratis antecellant. Immo extra dubitationis aleam positurus, quod ad singulos omnino homines benevola Numinis cura pertineat, insuper addit, quod crines etjam capitis nostri in numero habeat. Dic autem, fodes, an in liberali hoc atque dulci testimonio quidquam reperiatur, quod Bonitati ac Majestati Divinæ non sit conveniens? Hæc generaliter. Si quis autem specialia desideret Divinæ Providentiæ exempla, nec illis plane destituimur; verum ne plura adferendo lectores fatigemus, ex vasta illorum messe unum solummodo alterumve specimen proferemus. Quam igitur multa, quamque egregia facinora ediderit *CYRUS*, primus ille Persarum Monarcha, quantoque armorum successu sit usus, nemo, nisi qui in Historia plane hospes sit, ignorat: Quod autem non ipsius prudentiæ atque industriæ, sed providæ Summi Numinis, illum tenere complectentis, curæ hæc sint tri-

tribuenda, vel inde constat, quod omniscius DEUS, longe antequam susciperetur, res gestas hujus Herois prædicendas curaverit, ipsum tunc cognominaverit, immo ab ipsa conceptione illis instruxerit donis, quæ tantis rebus gerendis sufficerent (a). Alterum quæris, Mi Lector, individualis Providentiæ exemplum. Te ipsum igitur citare liceat. Quisquis enim es, dum vitam tuam atque varios consideras casus, nisi animus tuus ad sensum Numinis plane ocelluit, oppido fatebris, Te bonitatis Divinæ & plurima & luculentissima expertum fuisse documenta,

(a) Non absque voluptate legimus, quam blande DEUS Principem hunc Persarum, post sesquiseculum demum & ultra nasciturum, compellet: Hæc dicit Dominus uncto meo, Cyro, cujus apprehendi dextram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa regum vertam & aperiam coram eo januas, & portæ non cludentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas areas conteram, & vinctes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum: ut scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, DEUS Israël *Es. XLV: 1-3*. Ignorabant quidem specialem hanc, qua DEUS Cyrum complectebatur, curam profani Scriptores; nullum tamen est piaculum, ultra hos tenebriones in re tanti momenti sapere, præsertim cum sententiæ nostræ tam augustum possideamus obsidem,

§. V.

Quamvis autem evidentissima Thearchiæ documenta ubique occurrant, nihilo tamen minus fuerunt homines, qui in meridiana adeo cæcutierunt luce, ut Providentiæ Divinam in dubium

vocare, nec non in opinionis suæ robur varia ratiocinationum phantasmata proponere non erubuerint. Taceo nunc ingentem Atheistarum cohortem, quæ ut DEI existentiam non agnoscit, ita operationibus ejus nihil omninò movetur. Licet EPICURUS atque hujus adfectæ, DEUM existere docuerint; ipsum tamen, ut summe beatum, cura gubernationis rerum creatarum adfici negarunt; cum tale negotium excellentia Ejus plane indignum foret, & felicitatem, qua fruitur, haud parum turbaret (a). Quare etjam docuerunt: τὸ μαχάριον καὶ ἀφθάρτων ἔτε αὐτὸ παράγματον ἔχειν ἢ εἰ ἄλλω παρέχειν i. e. beatum & immortale neque habere ipsum negotii quidquam, neque alteri exhibere. In eandem cum EPICURO sententiam, teste CICERONE (b) iverunt STRATO, DICÆARCHUS atque ENNIUS, qui perverse sic canit:

*Ego DEUM genus semper esse dixi, & dicam cælitum,
Sed eos non curare, opinor, quid agat genus humanum.*

Huic adstipulatur OVIDIUS (c):

*Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fesso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.*

Nec non CLAUDIANUS (d).

*Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an ullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.*

Cum quibus consentit PLINIUS (e): *irridendum est, inquit, agere curam rerum humanarum illud, quod summum est.* Tolerari ista quodammodo possent in gentilibus; sed horrenda est impietas, qua Judæi, qui

qui peculiari licet ratione lautissima DEI beneficia experti fuissent, Providentiam tamen Divinam negarunt, sicut ex *Sap. II: 2.* affatim constat; ubi quosdam de se profitentes inducit Scriptor, ἢ αὐτοσχεδῶς ἐγενήθημε i. e. *quod casu*, sine ulla Providentia nati simus. In eadem castra transit quoque *Julius Caesar Vaninus*, Tolosæ superiori seculo propter impia dogmata combūstus. Hic enim *Amphibeatarum Providentiae Divinae contra Atheos*, sed revera pro illis conscripsit; eorum enim argumenta subtiliter proponit & frigidissime ad singula respondet (f). Multos denique recentiorum Philosophorum, in medio Christianorum cœtu degentium, invita licet natura & ratione, eadem oberrasse chorda, nisi in Historia litteraria plane hospes sit, fugere potest neminem.

(a) Hanc EPICURI opinionem ex CICERONE prolixè exponit STANLEJUS in *Histor. Philosoph.* p. m, 969. Immo PETRUS GASSENDUS, qui ceteroquin Epicurum plurimi facit, hanc opinionem, ceu erroneam, ex instituto refutat in *notis ad Libr. X.* DIOGENIS LÆERTII *Tom. V.* p. m, 128.

(b) Vid. *Libr. II. de Divinatione Cap. 50.* (c) Vid. *Amor. Libr. III. Eleg. IX. v. 35. 36.* (d) In *Exordio Invektiv.* in RUFFINUM. (e) Confr. *Histor. Natural. Libr. II. Cap. VII.* (f) Vid. SPITZEL, *de Vit. Litt.* p. m, 100.

§. VI.

Perversum omnino eorum esse institutum, ad-
eoque inter pingvis ingenii abortus referendum,
qui Providentiam Divinam simpliciter negent, con-
tendunt alii; quorum tamen nonnulli minus ad-

curatam Thearchiæ notionem nobis obtrudere fatagunt. Egregie quidem monent: nihil de DEO esse concipiendum, nisi quod augustum & summa, qua eminet, majestate dignum sit; in eo tamen vehementer errant, quod isthanc excellentiam cum dedignatione rerum quarumvis, extra se positarum, conjunctam velint. Immo particularem singularum rerum creatarum curam a DEO remonent, quippe quæ nimis ipsum fatigaret. Paucis: Providentiam Divinam sese tantum ad species Entium extendere, atque in earum conservatione occupari, non vero ad singula pertinere individua, iterum iterumque crepare solent. Hanc opinionem Veteres etiam fovisse, cum ex §. V, tum ex his OVIDIANIS versibus colligi potest:

*Utque Deos, calumque simul sublime tuenti,
Non vacat exiguis rebus adesse Jovi (a).*

Alii rursus concedunt, Providentiam Divinam occupari quidem circa hominum actiones, sed infra dignitatem tamen Summi Numinis esse arbitrantur, ipsum rerum quarumvis minimarum & abjectissimorum animalculorum curam agere. Horum in numerum referendus est HIERONYMUS, qui opinatur, nos fatuam prodere adulationem, si eo producere vellemus Providentiam Divinam, ut per singula momenta sciat DEUS, quot nascantur culices &c, & simul injuriam inferre nobis ipsis, si Providentiam ad ima detruderemus (b). Pluribus adferendis merito superfedemus; probe gnari, quod

quod ne hæc quidem lectu omnibus sint grata atque jucunda.

(a) Confr. *Libr. Trist. Eleg. I, v. 215, 216.* (b) In *Comment. sup. HABAC. Cap. I.*

§. VII.

Enimvero sicut artifex ingenii vim atque industriam in tenellis rebus conficiendis sæpe collocat, nec ingentibus molibus parandis semper delectatur; ita Summus rerum Opifex in minimis etiam sese maximum nonnunquam præbet. Optime igitur AMBROSIUS: *Si non injuria & probrum DEO sit, minutissimas quasvis res non sine magno consilio & sapientia fecisse, multo minus illius probrum erit, factas regere* (a). Quare antiquissimi, qui propter probitatem passim celebrantur, egregie statuerunt, DEUM Providentia sua singulas res complecti. Sic subuleus *Eumæus* felicem operum suorum successum benedictioni Divinæ tribuit:

ὅς οἱ πολλὰ κινήσει θεὸς δ' ἐπι ἔργον ἀίξει (b).

id est: *Qui multa sibi laboraverit, DEUS autem opus auxerit.* Crederes facile, Te audire Labanum loquentem Gen. XXX: 27. Quid? Quod veteribus fuerit persuasum, quod Providentia Divina non solum ad homines, sed ad bruta etiam pertineret animalia. Quare HOMERUS de columba loquens, adjicit, quod fata non permiserint, illam capi:

----- εὐδ' ἄρα τῆ γε ἀλάμεναι ἄισμον ἦεν (c).

Quod plenius nos docuit Sanctissimus SALVATOR Matth. X: 29. HOMERO jungimus gravissimum

PLATONEM, qui ita ratiocinatur: *Cum Dii sint, non convenit, eos esse otiosos: curant ergo res humanas. Cumque omniscii, etiam minima vident & norunt. Procul enim ab eis abest & desidia & inertia & ignavia; nec imbecilliores sunt in parvis, nec indignum sua Majestate putant, illa curare, cum ea, ceu gradus sint ad maxima (d).* Huc quoque spectat præclara EPICETI apud ARIANUM sententia: At quinti, in qua parte ULYSSES & SOCRATES, adferunt, statuuntque, quod TE, o! DEUS, ne in minimo motu lateam aut fallam (e). Quid? Quod dogma hoc tanti momenti veteribus Græcis visum sit, ut Philosophos, qui DEUM ejusque Providentiam negarent, in exsilium pepulerint (f).

(a) Vid. *Libr. 1. de Offic. XIII.* (b) Vid. *Odyss. XIV: 65.* (c) Vid. *Iliad. XXI: v. 495.* (d) *Contr. Libr. X. de legibus.* (e) *Confr. Libr. 1. de Doctrina EPICETI, Cap. 14.* (f) Vid. *ÆLIANI Var. Histor. Libr. IX, Cap. XII.*

§. VIII.

Sapientissima vero Thearchia exiguum, quo pollemus, ingenii modulum longissime superat, adeoque ratio ejus nobis plane est imperscrutabilis. Nec hoc admodum mirum. Sicut enim finiti ad infinitum nulla datur ratio; ita quoque & temerarium & frustraneum foret, curta ingenii nostri decempeda immensitatem sapientiæ & bonitatis Divinæ metiri velle. Quare ut apum videmus opera, non operas; ita quoque cernimus nexum rerum instar fere horologii Divini, cujus inter-

ternam rotationem introspicere nobis non licet. Idem enim nobis in hac vita, quod militibus, qui castra sequuntur, contingit. Scilicet ut his conamina acutissimi etiam Ducis non modo inutilia, sed p̄ne etiam ridicula s̄pe videntur, postmodum vero, alea jacta, facile animadvertunt, singula momenta ad felicem belli successum conducentia, accuratissime observata & juxta continuam prudentiæ feriem optime fuisse disposita; ita tarditas mortalium perverse non raro de œconomia Divina judicat: calculis autem ex ordine atque eventibus rite subductis, adfatim constat, quod Providentia Divina magnarum rerum mira ponat fundamenta, easque per latentia incrementa ad suum perducatur fastigium.

§. IX.

Qui Providentiam Divinam negat, cultum quoque Divinum egre admittit. Qui enim Thearchiam impugnat, bina Summi Numinis attributa essentialia infinitam scilicet sapientiam & bonitatem ab ipso removet §.1. Qui vero hæc in dubium vocat, ille nec existentiam DEI admittit, & proinde multo minus ipsum devotissima, ceu par est, veneratione prosequi potest. Ut vero propositionem nostram plenius demonstremus, juvat notionem DEI, ad mentem Deistarum paulo accuratius evolvere. Hi igitur DEUM nobis proponunt, ut summum; sed cui sua non permittit felicitas, rerum humanarum curam agere. Si autem sciam, bonitatem DEI summam quidem esse, sed nullam omnino ad me relatio-

lationem habere, idemque de Omnipotentia & Sapientia Ejus teneam; eximias utique has Numinis perfectiones admirari subinde possum, pectus vero meum ad ipsius amorem non sollicitatur, quod audiam, me nullum ex tantis perfectionibus capere posse fructum. Omnia enim, stante hac hypothesi, efficere quidem potest, nihil autem pro me agit. Varios etiam novit modos, felicitatem meam promovendi; verum in suam totus intentus, singulos illos negligit. Summam Ejus Majestatem quoties cogitamus, in vilissimam protinus detrudimur conditionem, atque Deistarum placitis ita confundimur, ut abjecta tantum coram DEO esse videamur automata, quorum omnis & intelligentia & industria in apto solummodo consistit mechanismo; immo nos & ceteræ res creatæ bullæ tantum aëreæ sumus, eum in finem hoc vel illo tempore, prout sors ferat, emergentes, ut alio momento pari levitate evanescamus. Unde porro sequitur, quod sicut DEUS nulla rerum humanarum cura, ex opinione dissentientium, tangatur; ita nec malefactorum sceleribus indignetur, nec proborum delectetur homagiis, sed singulis permittat, ut possint, utque velint, suas sustinere partes. Ex quibus liquido patet, quod, admissa Deistarum hypothesi, nulla felicitatis motiva ex consideratione Numinis sumi queant, sed omne pietatis incentivum tollatur, sicque cultus, DEO O. M. debitus, frigescat & negligatur (a).

(a) Vid. SCHUBERTI *Philos. Pract.* §. 736. p. m. 251. Bene igitur CICERO *de Natura Deor. Libr. I*: Sunt Philosophi & fuerunt, qui nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Numen; quorum si vera est sententia, quæ potest esse pietas? Quæ sanctitas? Quæ Religio?

§. X.

Supereft adhuc, ut ex instituti nostri tenore paucis ostendamus, quanta per doctrinam hanc de Providentia Divina, breviter a nobis nunc explicatam & vindicatam, menti nostræ accedat tranquillitas. Per hanc vero intelligimus illum mentis nostræ statum, quo nec tædio eorum, quæ perpetrata sunt, adficimur, nec vehementi adfectuum turbine commovemur. Ut igitur ad placidum hunc felicitatis portum perveniamus, requiritur, ut in nosmet ipsos probe intenti, nihil temere agamus. Scilicet in intimis pectoris nostri penetralibus hospitatur centoculus quidam Rhadamanthus, qui sicut actiones nostras ad legum trutinam accuratissime exigit; ita quoties ab officii tenore recedimus, graviter intus strepit, reum angore cruciat, acerbissimisque moribus nocte dieque sauciat, nec testificari desinit, quamvis repellatur interdum & cohibeatur. Eadem vero conscientia, dum vitam nostram legum præceptis convenienter instituimus, tanta tamque sincera animum nostrum demulcet voluptate, quanta non major cogitari, nedum melior pro præsentis rerum conditione exoptari potest.

Si autem probe sumus convicti, DEUM omnia non solum facta, sed etiam cogitata nostra optime cognoscere & insuper paternam nostri curam agere §. §. II. III. IV; ex singulis Ejus perfectionibus maximos colligimus fructus, atque tenerrimum Ejus amorem, nisi adamantina geramus pectora, vita factisque nobis conservare nitimur. Virtutibus proinde jugiter studebimus, vitia vero, ut angve & peste pejora, sedulo effugiemus. Quod faciendo integram servamus conscientiam, quæ animo tranquillitatem, futuræ felicitatis prænuntiam, imperit gratissimam (a). Sunt porro adfectus, ceu experientia docet, imperii impatientissimi, qui repagula sibi a ratione objecta ferociter non raro pulsant. Enimvero dum miram Numinis curam, qua fit, ut amœnam modo malaciam turbidæ excipiant procellæ, modo post nubila splendeat Phœbus, dilucidis consideramus intervallis, fieri certe nequit, quin adfectuum æstus sensim subsidat, & animus noster blanda tandem agat halcyonia.

(a) Bene igitur CICERO *de finibus Libr. V. Cap. XXVI*: ubi virtus, resque laudabiles gestæ sunt; ibi ærumna nequaquam esse potest. Et HORATIUS *Libr. 1. Epist. 1. v.* 60 eleganter canit:

- - - - - *Hic murus abenens esto,*
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

§. XI.

Quamvis etiam virtus sua sibi merces sit, & mira dulcedine cultores suos demulceat; non raro
tamen

tamen evenit, ut variis molestiis optimus quisque prematur, & generoso incoctum pectus honesto tanta malorum ilias torqueat, ut deliquium fere pati videatur; siquidem ut præclare canit BAR-CLAJUS (a):

- - - *Nunquam tranquilla exordia fatis
Heroum eximiis, nec denique naufraga virtus;*

dum contra albæ gallinæ filii fortunam, sibi blandientem sæpe experiuntur. Sibi tamen non deest animus mirabili DEI Providentia §. VIII rite informatus; probe gnarus, quod ut Sapientissimum Numen impios ad sui cognitionem lautissimis invitat beneficiis; ita quoque res adversas probis immittit, ne nimia felicitate in jugi virtutum studio torpescant, & pennas, ut ita dicam, incidit, ne temere & lascive evolent. Sicut enim chalybs continua malleatione majorem acquirit vim elasticam; ita quoque calamitate, vera virtutis officina, animis piorum novus accedit vigor, nova alacritas & eximia tranquillitas. Atque hæc insigniter promovetur, dum fida nos experientia edoceri sinimus, quod multa, quæ nostram retardare, immo destruere videbantur felicitatem, re curatius pensitata, in nostrum tendant commodum. Quid? Quod nulla omnino sit hominum conditio, si vel ab auratis Principum palatiis ad sordida usque descendamus mapalia, quæ ex consideratione Providentiæ Divinæ ingens non capiat & oblectamentum & robur. Licet igitur Principes in summo hono-

rum gradu longe supra communem mortalium fortem sint constituti, non sic tamen fortuna simpliciter ipsis semper indulget, sed adversitatum sæpe patent telis. Quassantur enim interdum folia motibus partim internis partim externis, & summa imis miscentur. Quod vero tum in sua fortitudine, impigro animo aut civium numero & bellandi peritia frustra quærerent præsidium, in meditatione Providentiæ Divinæ inveniunt firmissimum. Eriguntur igitur atque eadem facilitate turbines dissipant, qua sunt tranquillitate in illis adeundis, objectaque sibi impedimenta fortiter perrumpunt, DEO duce & comite virtute nihil sibi impervium censentes. Immo hi ipsi, scena peracta, non sine voluptate reperiunt, quod quo magis impedire homines eorum progressus sunt anni, eo faciliorem ipsis ad præfixam metam perveniendi viam effecerint (b). Ceteros status, brevitati litantes, silentio jam præterimus.

(a) Vid. ARGENIDIS *Libr. V. p. m. 758.* (b) Vid. LEUNCLAVII *Histor. Musalmanica Libr. 1.*

§. XII.

Docet igitur Historia, quod Principes, qui præ ceteris rerum gestarum gloria inclaruerunt, ægide velut bonitatis Divinæ se suosque texerint milites, antequam periculorum aleæ sese commiserint; quo factò, casibus omnibus velut superiores egre-

egregia maxime facinora mira alacritate & constantia vel ediderunt, vel se edituros non desperarunt. Sic DIOMEDES, quantumvis fortis, nihil vel sibi vel suorum tribuit virtuti; sed ingenue fateatur, Græcorum adparatus plane inutiles esse, quod Jupiter a partibus Trojanorum staret (a):

..... Ἀλλὰ μίνυθες

Ἡμέων ἔσσαι ἦδες, ἐπεὶ νεφεληγερέτα Ζεὺς,
Τρωσὶν δὴ θέλει δῶναι κραῖες ἢ παρ' ἡμῖν.

Simul tamen non dubitat, se HECTOREM etiam superaturum, si quisquam Deorum sibi faveret (b). Ipse HECTOR felicem rerum suarum successum a propitiis sibi Diis tranquillus expectat; quare etiam acerrimum ACHILLEM sic compellat:

ὼίδα δ' ὅτι σὺ μὲν ἐοθλός, ἐγὼ δὲ σέθεν πολλὸν χεῖρων,
Ἀλλ' ἦς: μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.
Ἄικέ σε χειρότερος παρ' ἐὼν δὸτὸ θυμὸν ἔλωμαι,
Δαρεὶ θαλῶν· ἐπειὴ καὶ ἐμὸν βέλος ἐξὺ πάρεσθην (c).

Id est: Scio equidem, quam fortis sis, & quod Te sim inferior; sed certe in Deorum genibus hæc omnia sita sunt. Quis spondere aufit, quod licet viribus impar, hoc tamen gladio filium vitæ tuæ abrumpere nequeam; quoniam & telum meum acutum est. Majori adhuc fiducia plenus ULYSSES, ingenue exclamat: Si mihi opem feras, o! animosa Minerva, cum trecentis ego viris pugnarem, & Tua ope illos superarem (d). Similiter magnus ille Persarum Monarcha, CYRUS, sollicita-

tionibus avunculi sui CYAXARI in bellum contra Assyrios profectus, milites suos ad fortitudinis specimina exhortaturus, motiva atque incentiva non ex copiis viritim lectis, nec a rigida, qua Persæ tum eminebant, disciplina, nedum a viribus hostium, luxu enervatis, sed ab ipso Numine, quod teneram proborum agit curam, optimo cum successu sumsit. Pari profus ratione M. ANTONINUS in Thearchiæ meditatione blandum adeo voluptatis sensum invenit, ut liberaliter profiteri non dubitaverit, *vitam vel unius diei sibi intolerabilem fore, nisi sibi persuasum haberet, eandem subesse regimini Divino.* Quæ quidem orationes, ipsa pectoris penetralia detegentes, animum produnt in dubiis maxime rebus non turbidum, sed serenitate & tranquillitate, almi Olympi, cui originem debent, non dissimili gaudentem. Atque hoc modo pectus suum firmarunt Sapientiores; quocirca tamen non est reticendum, quod ex gentilium cohorte alii, quibus læva fuit mens, nec arduis exercita negotiis, in rebus quibusvis lubricis suam collocaverint & felicitatem & adquiescentiam, quorum tamen perversa studia nostros minime turbant calculos. Interim tamen cum illi, qui creperam solummodo Providentiæ Divinæ auroram intuebantur, eximium adeo ex ipsa ceperint oblectamentum; quanto major in nos redundabit felicitas & tranquillitas, quantumque virtutibus exercendis accedet incitamentum, qui fulgidissima Eiusdem luce adfatim fruimur. Profecto sicut in-

genus

genus civis, qui probe novit, quod Princeps ipsum diligat & teneram ejus curam agat, nec vicinorum extimescit rixas, nec hostium timet insultus, sed negotiis suis placide adeo vacat, ut fortunæ etiam injurias parum curet; ita quoque dum intime persuasi sumus, quod Sapientissimum & Optimum Numen prolixo amore nos singulos complectatur, nulla adversitatum agmina exhorrescimus, sed instar nodosæ quercus, effrenas rigide contemnentis procellas, in omni casu tranquilli persistimus, & nectarea hac cogitatione animum lactamus, *Quod mirabilia sint DOMINI Judicia super timentibus Ipsum.*

(a) Vid. HOMERI *Iliad. Libr. XI. v. 317. seq.* (b) Vid. *Libr. modo cit. v. 366.* (c) Vid. *Auctor. nuper cit. Libr. XX. v. 434--437.* (d) Confr. ODYS. *Libr. XIII. v. 389--391.* (e) Vid. DE ROLLIN *Traité des Études, Tom.*

III. p. m. 254.

Eruditissimo Domino AUCTORI.

Quamvis magnam hominibus benevolentiam concilient divitiæ, formæ pulchritudo atque munerum dignitas, maximam tamen exultationem pariunt eruditio atque ingenii mores. Quamobrem etiam omnes, quorum præcordia meliori de luto fixit Titan, tanto Litterarum amere ducuntur, ut nullos subterfugiant labores, nec ullis parcant curis, modo ad scientiarum ædya perveniant. Anhelos vero dubiosque, an in stadio incepto progredi vel pedem referre præstet, erigit, confirmat, atque incitat blandissima Providentiæ Divinæ recordatio. Hæc ipsum, cum nitidissima Tua, Eruditissime Domine, nos doceat Dissertatio, cumque in Tuis meditationibus non minus eximia ingenii vis, quam accuratissima rerum gestarum peritia eluceat, me vel non monente, sedum laudante, constat, quantos in variis disciplinis feceris progressus. Ego autem his pro singulari, quæ mihi Tecum jamdiu intercessit amicitia, impense lætor, atque benignissimum Numen suppliciter rogor, ut omnia tibi ex votis in posterum succedant.

A. H.

EIDEM.

Quemadmodum non satis est, arbores plantare, sed pertinaci etiam cultu sunt putandæ; sic quoque qui eruditionem sibi comparare vult, non tirocina modo ponet, sed in stadio incepto alacriter perget, nec ullis difficultatum molibus, se a gradu dejici patietur. Quocirca animum constantia armatum habebit, roburque colliget, ut adversitatibus non succumbat, quamvis, quod Christianis sæpe contingit, illis prematur, turbetur, concutiatur. Hanc alacritatem nobis præbet justa recordatio Providentiæ Divinæ, quæ dejectum animum & erigit & exhilarat. A SUMMO enim ILLO BONO non nisi bonum sperare fas est. Recte igitur, Eruditissime Domine, fecisti, quod in egregio hoc specimine Academico nos doceas, quantos fructus ex Providentia Divina rite cognita colligere queamus. Non inexperta canis, adeoque Tuis placitis ingenui omnes adsurgent. Ego inprimis, qui Tua diu usus sum amicitia, atque etiamnum utor, Tuis in vario disciplinarum genere progressibus vehementer lætor. Ex intimis denique cordis recessibus opto voveoque, ut, alma Providentia dirigente, præmia illa brevi consequaris, quæ ingenuos eruditionis & virtutis cultores manent, lautissima,

TUI

Studiosissimus

MAGNUS KYANDER, JOH. FIL:

Wiburgensis,